

Johann Gottlieb Möller Johann Salomon Richter

**De Seculi IV. Scriptoribus Philologis; Et Seculi V. Scriptoribus Ecclesiasticis,
Philosophis, Ictis, ac Medicis; Ex Chronologico Illustris Viri, Hermanni Conringii,
de Universae Eruditionis a N. C. Propagatione, Eiusdemq[ue] Scriptoribus,
Commentario, Nunc Primum e Msc. A Se Edito, in Disputatione Philologico-
Philosophica, d. XVI. Januarii A. C. M DC XCIIX. In Maximo Athenaei Gedanensis
Auditorio, Jesu Gratia Moderante, Solenniter instituenda, placide disquiret,**

Gedani: Stollius, 1698

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796463395>

Druck Freier  Zugang



B6-1053¹⁻³¹



2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.

8.
DE
SECULI IV.
SCRIPTORIBUS PHILOLOGIS;

^{Et}
SECULI V.
SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS,
PHILOSOPHIS, JCTIS, ac MEDICIS;
Ex CHRONOLOGICO

ILLUSTRIS VIRI,
HERMANNI CONRINGII,

de UNIVERSÆ ERUDITIONIS à N. C. PROPAGATIONE,
EJUSDEMQ; SCRIPTORIBUS, COMMENTARIO,
NUNC PRIMUM è MSC. A SE EDITO,

in

DISPUTATIONE PHILOLOGICO-PHILOSOPHICA

d. XVI. Januarii A. C. M DC. XCHIX.
IN MAXIMO ATHENÆI GEDANENSIS AUDITORIO,

JESU GRATIA MØDERANTE,
Solemniter instituendâ, placidè disquiret,
PRÆSES

JOH. Gottlieb MOLLERUS,

D. PP. D., & Bibliothecarius.

Respondente

JOHANNE SALOMONE Richter/ Gedanensi.

GEDANI,

Typis JOHANNIS-ZACHARIAE STOLLII.

16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.

VIRIS:
ILLUSTRI;
MAGNIFICIS, MAXIMEQUE STRENUIS;
CONSULTISSIMO;
EXPERIENTISSIMO;
ADMODUM REVERENDO;
NOBILISSIMIS, SPECTATISSIMIS;
DN. GABRIELI SCHUMANNO;
BURGGRABIO REGIO, ET INCLUTÆ GEDANENSIMUM CIVITA-
TIS PRÆCONSULI LONGE MERITISSIMO;
DN. DANIELI NIMSGARTEN;
DN. SALOMONI WAHLEN;
DN. NATHANAELI RÖNIG;
DN. ANDREÆ Horckmann;
LAUDATÆ CIVITATIS CONSULIBUS GRAVISSIMIS;
DN. JOHAN. ERNESTO de LINDA;
SYNDICO EJUSDEM REIPUBLICÆ AMPLISSIMO;
DN. SIGISMUNDO Schulzen;
DN. CASPARI Wendtlandt;
DOCTORIBUS MEDICINÆ CELEBERRIMIS, FELICISSIMIS;
DN. JOH. JACOBO HOYNOVIO;
AD ÆDEM S. SPIRITUS ECCLESIASTÆ VIGILANTISSIMO;
DN. CONSTANT. GABR. HECKER;
DN. JOACH. HENR. SCHRADERO;
DN. DANIELI SCHRADERO;
PATRITIIS PATRIÆ PRÆCIPUIS;
Primitias hasce Philologico-Philosophicas, in ulterio-
rem sui suorumque studiorum commendationem,
submissâ animi observantiâ, cum ardentissimo ab-
solutissimæ prosperitatis voto humillimè offert.
Johannes Salomon Richter/ Ged.

SECULI QUARTI Caput V. De Philologis.

CAPUT. V.

De

PHILOLOGIS.

I. EX seculi quarti HISTORICIS superat magnâ ex parte *AMMIANUS MARCELLINUS*, qui temporibus Constantii & Juliani, nec non Valentianiani & Valentis Cæsarum floruit, prudenteribus doctisq; latinæ historiæ Scriptoribus potius, quam disertis annumerandus.

II. *EUTROPIUS* etiam, cuius est *Breviarium Historiæ Romanæ*, eodem planè tempore vixit.

III. Confinia quoque hujus & sequentis seculi attigit *EUNAPIUS SARDIANUS*, qui præter *Historiam Philosophorum ac Sophistarum*, hodieque superstitem, conscripsit & *sui temporis res gestas publicas*, quas, quo minus desideremus, fecit *ZOSIMUS*, utpote qui Eunapianæ Historiæ, *PHOTIO* teste, compendium confecit. Porro *EUSEBII & RUFFINI*, Ecclesiasticorum Historicorum, jam ante facta est mentio, ut superfluum fuerit hæc repetere.

IV. Ex eodem hoc seculo nonnulla ORATORUM LATINORUM supersunt, quæ, quoniam maximè *Panegyrica* continent, solent vulgo edi cum *PLINII Panegyrico*, quem ille Trajano Imperatori dixit. Talia porro sunt *EUMENII*, *MAMERTINI*, *NAZARII*, *PACATI*, aliorumque hominum obscurorum.

V. GRÆ-

16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.

SECVLI QUARTI Caput IV.

V. GRÆCE quoque existant *Orationes* ipsius *FULIANI IMPERATORIS*, quarum illas, quas Christianus adhuc habuit, non ita pridem edidit DIONYSIUS PETAVIUS. Sunt autem aliae etiam ejus Epistolæ, ac duæ nobiles Satyræ, altera *Cæsaris*, altera *Misopogonis* titulo in Antiochenos scripta. Supersunt & nonnulla *LIBANII SOPHISTÆ, PROÆRESII* item, ac *HIMERII, RHETORUM, JULIANI* ætate, & paulò post florentium, quorum Vitas descripsit EUNAPIUS.

VI. Præter Poëtas ECCLESIASTICOS ante dictos, *FULVENCUM & PRUDENTIUM*, nomen aliquod consecuti sunt *ALPHIUS AVITUS, SEPTIMIUS AFER, & TERENTIANUS MAURUS*, in defectu tamen meliorum tantum memorandi.

VII. Facienda hîc denique mentio est *FULII MATERNI FIRMICI*, superstitioni judiciariæ Astrologiæ Scriptoris, ævo CONSTANTINI. Neque enim Philosophis, multò minus aliis ordinibus id genus hominum debet jungi. Jungi autem FIRMICO potest, cùm ætatis, tùm studiorum quodammodo ratione, Auctor ejus *Calendarii perpetui*, quo hodiè utuntur Judæi.

SECU-

S E C U L I V.

C A P U T I.

De

S C R I P T O R I B U S E C C L E S I A S T I C I S .

I. HÆc tempestas habuit adhuc reliquias aurei prioris ævi; sub finem autem ejus seculi omnis Eruditio, in Occidente præsertim, collabascere cœpit.

II. Ecclesia igitur Occidentalis habuit primis XXX. annis S. AUGUSTINUM, Episcopum Hippoensem Africanum, omnium Patrum, ut ingeniosissimum, ita & acutissimum Disputatorem; S. MAXIMUM, Episcopum Taurinensem; SEVERUM SILPITIUM, disertissimum Sacræ Historiæ Scriptorem; ut & PAULUM OROSIUM, qui hortatu S. Augustini imprimis, Romanorum clades descripsit, quas illi passi sunt, cum idolis adhuc sacrificarent; SEDULIUM denique, Poëtam Evangelicum.

III. Paulo post THEODOSIO JUNIORE imperante, habuit Orientalis Ecclesia S. CYRILLUM, Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum, Nestorianæ hæreseos averruncum; THEODORETUM, Cyri Episcopum, S. CYRILLI æqualem, & interdum æmulum; PROCLUM

16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.

SECVLI QVINTI Caput V.

*CLUM quoque, Episcopum Constantinopolitanum,
& EUSEBIUM EMISSE NUM.*

IV. Temporibus THEODOSII JUNIORIS & VALENTIANI SECUNDI, medio seculo floruerunt rursum in Occidente S. EUCHERIUS, Episcopus Lugdunensis; CLAUDIANUS MAMERTUS, Episcopus Viennensis; SIDONIUS APPOLLINARIS, Episcopus Avernensis; JOHANNES CASSIANUS, Presbyter Massiliensis, VINCENTIUS, Presbyter Monasterii Lerinensis; PROSPER Aquitanus, Discipulus S. AUGUSTINI, FAUSTUS, ex Monacho Lerinensi Episcopus Regensis, suspectus ob Semipelagianismum; & deniq; SALVIANUS, Episcopus Massiliensis; qui omnes in Galliis floruerunt, etiam si illæ terræ Wandalorum, Gothorum, Francorum & Burgundiorum Germanicarum gentium, sævisimas incursionses tum temporis passæ sint.

V. Eadem planè ætate habuit Roma S. LEONE M M. Papam; præter hunc autem tota Italia neminem; quod Gothorum & Herulorum irruptione omnia vastarentur.

VI. Æquales hisce in Orientali Ecclesiâ floruerunt SOCRATE S, & SOZOMENUS, Historiæ Ecclesiastice eruditæ scriptores, Novatianâ tamen Hæresi infecti; ISIDORUS item PELUSIOTA, ac S. NILUS, Constantinopolitanus Monachus, JOHANNIS CHRYSOSTOMI Discipulus; reliqua verò Orientis, aut hæresibus

SECULI QUINTI CAP. I. & II.

bus variis, aut luxu, aut denique hostilibus incursionibus contabescabant.

VII. Postremò, sub finem Seculi, floruerunt in Occidente, *VICTOR UTICENSIS*, Africæ Episcopus, adeoque malorum, quæ tum temporis passa est Atricana Ecclesia, diligens narrator; *GENNADIUS*, Massiliensis Presbyter; *GELASIUS*, Pontifex Romanus, *PASCHASIUS* Diaconus; & *VIGILIUS* ille, cuius sunt *Libri* illi V. *contra Eutychen*. In Oriente tūm unus ferè Scriptor Ecclesiastica Dogmata defendit, *ÆNEAS GAZÆUS*.

CAPUT II.

De

PHILOSOPHIS.

I. **L**icit ad duas SCHOLAS omnis ferè GRÆCA PHILOSOPHIA jam quarto seculo esset redacta, ATHENIENSEM scilicet ac ALEXANDRINAM, primis tamen hujus quinti Seculi annis, Schola illa Atica tantum non omnis interiit, adeò, ut Synesius scribat: *fese Athenis nihil penè Philosophorum, sed mellis potius opifices invenisse*; Alexandriæ interim Studia illa fuerunt conservata.

II. Namque sub finem prioris, & initium hujus seculi, floruerunt ibi duo insignes MATHEMATICI, quorum

16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.

SECVLI QVINTI CAP, II. *De Philosophis.*

rum Scripta etiamnum in admiratione sunt: *THEON,*
& PAPPUS ALEXANDRINUS.

III. THEONI porrò Filia fuit *HYPATHIA*, non minus Patre suo Philosophicis & Mathematicis Studiis clara; quam tamen Plebs Christiana, nescio quam ob causam, interfecit THEODOSIO SECUNDO CÆSARE.

IV. Floruit autem *HYPATHIA* tempore *SYNESIUS*, Episcopus Prolemaidis, Philosophis tamen, aut potius Eloquentiæ Studiis, clarior, quàm rerum Ecclesiasticarum notitiâ; quippe qui, etiam cum in Episcopum eligeretur, de Resurrectione & Creatione dubitavit, quod jam olim notavit Photius, & hodieque colligere est ex ipsiusmet Synesii Epistolis.

V. Medio hujus seculi floruit Alexandriæ *OLYMPIODORUS* Alexandrinus, Platonicæ & Aristotelicæ Philosophiæ interpres, non ille tamen, cujus hodieque scripta existant; item *HERO ALEXANDRINUS*, quem esse illum ἀντομαπην περιγραφείας ac Spiritualium auctorem, valdè mihi verisimile est.

VI. Eādem Tempestate vixerunt Athenis *PLUTARCHUS*, Nestorii Filius, quem sequentes MAGNI cognomento appellant; ejusque Successor, *SYRIA*.

SECULI QUINTI CAPUT. II. & III.

RIANUS, cuius hodiè commentaria superant in Metaphysicam.

VII. Porrò horum omnium Magisterio usus est *PROCLUS* Lycius, declinante seculo, restitutâ quasi in integrum Scholâ Platonicâ, PLATONICI SUCCESSORIS cognomentum meritus. Nam in illo Platonis ac Aristotelis Philosophia omnisque Sapientia renata credita est, cum tamen reapse in Theologicis quidem Chaldaica Dogmata pro Platonicis venditet, & contra Christianos pro mundi aeternitate XIIIX. Argumentis depugnaverit.

IIX. Usus tum etiam, nisi fallor, iisdem est Magistris, *ANTIUS MANLIUS BOETHIUS*, Vir, præter primariam Nobilitatem, Philosophiæ quoque cognitione, ac rara probitate & eloquentiâ, merito maximi faciendus, quem constat honores maximos, declinante seculo, & patriâ à Gothis occupatâ, Romæ gesisse, simulq; multa scripsisse, cùm adolescens Philosophiæ Aristotelicæ & Platonicæ operam Athenis dedisset.

CAPUT. III.

De

J C T I S.

ICti

16.
17.
18.
30.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.

SECULI QUINTI Caput III. de JCtis. & IV. De Medicis,

JCti, nulli penè hoc seculo memorantur, quorum quidem scripta supersunt; tantum THEODOSIO II. Imperatore, confectus est ex Constitutionibus Cæsarum, qui à Constantino M. usque ad illud tempus rerum erant potiti, tertius CODEX, THEODOSIANUS, ab eo, cuius auctoritate fuit conscriptus, nuncupatus. Atque hic est ille Codex, qui ex tribus illis, nempe HERMOCENIANO, & GREGORIANO, ante Justinianum confectis, hodiè superat; Liquet verò ex illo codice, ejusdem Theodosii curâ, præter BERYTENSEM, quæ hactenùs floruerat penè unica, alteram novam Jurisprudentiæ Scholam publicam, CONSTANTINOPOLI fuisse erectam.

CAPUT IV.

De

M E D I C I S.

MEDICORUM, similiter hujus seculi superant nulli, nisi, quod ad tempora hæc pertinere videantur duo illi præclari Rei Medicæ Scriptores, PAULUS AEGINETA, & AE TIUS ALMIDENUS; constat quippe utrumque ORIBASIO juniorem, ALEXANDRO verò TRALLIANO majorem esse, quorum ille quarto, hic quinto seculo floruit.

Additamenta declarando Auctoris Textui inservitura.

ADDITAMENTA

Declarando Auctoris Textui inservitura.

I. **Q**uoniam per calumnias, ut vocat S. Augustinus, *conquestionem*, solenne paganis erat, omnis publicæ cladis principia, ex sanctissimo derivare Christianismo, Apologetæ veteres omni conatu in id laborarunt, ut evincerent, similia, vel fortasse etiam graviora, de Imperatoribus Non-Christianis posse commemorari, quo obtrectatores intelligerent, vel hominum hæc esse vitia, non Doctrinae; vel Imperatorum, sed aliorum, sine quibus Imperatores agere nihil possunt; Christianismo autem, quotquot firmiter adhærebant, incitarentur ad agendas Domino Deo suo gratias, qui contra ista mala misit adjutorium singulare! Quo enim non tolleret, quem non involveret, in quod profundum non demergeret fluvius iste horrendæ nequitiae generis humani, nisi Crux Christi in tanta velut mole auctoritatis eminentius firmiusque figeretur; cuius apprehenso robore stabiles essemus, nè male svalentium, vel in mala impellentium, tam vasti hujus mundi gurgite abræpti sorberemur; ceu commentatur Epistola V. AUGUSTINUS. Hic ipse, ad diluendam hancce calumniam, non medo præclarum de Civitate Dei Opus conscripsit, verum OROSIO quoque auctor exstitit, ut Historiarum adversus Paganos Libros VII confignaret, inque iis, præcipue gentilium, qui direptionem Romæ, per Alaricum factam, Christianismo imputabant, convitia, amolirentur. V. Auctorem S. V. C. I. n. 2.

II. In nullâ re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnoxie & contentiosè contradicitur fidei Christianæ, sicut de carnis resurrectione! uti experientia doctus scribit in Psalmum LXXXIIX. Augustinus. quoniam, &, qui quoad reliqua, fidem profitebantur Christianam, universam tamen reprobârunt resurrectionem

nem

16
17
18
19
20
21
22
23
24
25


Additamenta declarando Auctoris Textui inservitura.

nem, & quantum in ipsis est, de medio illam auferre sunt conati; ex querela Irenzi circa Operis sui finem. Exemplo est SYNESIUS, de quo Evagrius Hist. Eccl. L. I. C. 15: *Synesius tum reliquis Disciplinis excultus fuit, tum in Philosophia adeo excelluit, ut admirationi esset etiam Christianis, his scilicet, qui neque odio, neque gratia adducti de rebus judicare solent.* Persuadent igitur illi, ut salutaris Regenerationis Lavacrum perciperet, & sacerdotii jugum subiret, tametsi Resurrectionis Doctrinam nondum suscepisset, neque ita sentire vellet; recte omnino conjicientes, ad reliquas ejus Viri virtutes ista esse accessura, cum divina gratia nihil imperfectum habere sustineat. Nec Spes eos fecellit. Qualis enim & quantus exstiterit, abunde testantur, tum Epistola, post susceptam sacerdotii Dignitatem, eleganter & docte ab eo conscripta, tum Oratio, quam dixit eidem Imperatori Theodosio, tum quicunque ejus Libri admodum utiles circumferuntur.

COROLLARIA PNEUMATICA.

- I. Mysterium Trinitatis ex Naturâ qui demonstrare audent, veritatem, tâm à Naturâ, quâm Scripturâ revelatam, turpiter prostituunt.
- II. Similia, quæ ex Natura in hujus gratiam scopi colliguntur, nihil faciunt, nisi quod declarent, citra ullam contradictionem, de una eademque re, alio tamen atque alio respectu, unitatem & trinitatem posse prædicari.
- III. Hujusmodi tamen Similium, & conquisitio, & applicatio, ad Theologiam, non Pneumaticam pertinet.

S. D. G.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn796463395/phys_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796463395/phys_0019)

DFG



תְּפִלוֹת מִתְשֻׁעָה קְבִין פְּרִישׁוֹת הַוְאָה הַיְהָה
וּרְשָׁעָה עָרוֹסָה וְאַשָּׁה פְּרוֹשָׁה וּמִבָּהָה פְּרוֹשָׁה

Wagenseilio nostro interprete : *Dixit filius
omo docere filiam Scripturam sacram , nam si
ur (aquas amaras adulterii suspecta,) securus
sacrarum literarum studium (ex merito aliquo
præstiti , de quo antea actum fuerat ,) vim no-
futuram. Contra R. Elieser ait : Quisquis filiam
t , is eam docet amandi artem (ex sententia
Josua ait : Magis expetit mulier unum Cabum
am novem Cabos vitæ solitariae. Idem ore fre-
opius qui inspiens , improbus qui astutus , Mulier
era Pharisæorum , ecce ista sunt , que orbi in-*

Hæc celebris illa est de Fœminarum Eruditio-
Eliesere quidem prolata , a R. Josua quoque con-
p̄d præcipuum est , a Magistris etiam per **הַלְכָה**
obata , de qua nunc pluribus erit dispiciendum;
ostrema verba , et si primario huc non spectant,
itata , cæteris addere visum nobis fuit , ut ex fœ-
cujs hic explicate facta est mentio , ac Vulne-
m , quorum itidem Mischna meminit , ad læsionem
לְהָרְאָות שַׁהְוָא עֲנֵיו וְעַצְנוֹ sec. Bartenoriensi in
vultum simulatō demittentium atque aliorum
ndo ad parietes declinantium , discas , nomen
cui & fœminæ adhæserint , non officii , aut eru-
, ut vulgus putat , titulum ; & intolerabili insuper
ocrisi , vel solo tactu aliorum se pollui creden-
tium

C

